actum profectò de eâ fuisset, nisi et tutelam et curam suam
adhibuisset Jesus. O Regem summum! O Imperatorem maxi-
mum! ô Opitulatorem, ô Liberatorem clementissimum!
Ad hunc Commilitones suavissimi, ad hunc supplices confug-
Tutorem hunc ac Directorem vobis eligite! Ab hoc et huic
regi vos patimini: quem servire huic libertas, parere
summa sit felicitas.

Dixi interim, et quidem pace vestra dixi, Liberationem
certam à Recens nato Jesulo nostro expectandam
nobis et expetendam esse: Ita verò tenes hac dixi de li-
beratione illâ: ut cum de summâ ejus potentia, tum
promptissima ejus in servando ac liberando voluntate,
luculentissimè inter vos omnes jam constet. Absit itaque
à vobis, absit non solum omnis dissensio, omnis dubi-
tatio, omnis fluctuatio! Sed et omnis tristitia, omnis
querela aeternum absit. Ex adverso blanda adsit lae-
titia: adsit spes plena et confidentia! In mediis quoque
aerumnis omnes sperate et confidite! Ecce enim Je-
sulus noster recens natus verus est Deus, omnipotens
est, Rex noster est: salus nostra est: cur ipse Ecclesiam
suam non defensurus esset? cur in auxilium non venturus
esset? cur nos non adjuturus esset? Frendeat hinc Diabo-
lus cum universo suo satellitio: fremat mundus! Nobis-
cum Deus est! Jesulus est pro nobis. Si Deus autem no-
biscum, si Jesulus pro nobis: quis contra nos? Nam
licet voluntatem nocendi semper nostri habeant hostes,
licet nocendi potestatem habeant, limitata tamen ho-
utraque est. Est videl. est voluntas Satanae Dei volun-
tati subjecta: est et potestas illius ita circumscripta,
ut ne capillum quidem nobis evellere possit Satanas.
Non possum amplius in hoc orationis calce mea tem-
perare linguae: quominus tandem cum piâ matre Ec-
clesiâ, laetitiâ inusitatâ plenissimus, erumpam et ex-
clamem!

Frendeat et Satanas, et vel potentior Orcus
Est socius noster Filius ipse Dei.
Laß zürnen Teufel und die Höll
Gottes Sohn ist worden unser Gesell.

Ao 1685. 12. Jan. Dixit
David Keselius.
Fraustadio-Polon.